

Lorenzo Patarol e la declamazione antica: le *Antilogiae* alle *Declamationes Maiores*.

Lettera di Lorenzo Patarol a Theodor Jansson van Almeloveen. Venezia, 13 agosto 1712.
(L. Patarol, *Opera Omnia*, vol. II, Venezia 1743, pp. 447-448).

[...] Ad Quintilianum quod spectat, cuius lectione te quoque admodum delectari docuit me idem praestantissimus Cuperus, fatebor et ipsum mihi in Declamationibus praesertim adeo placuisse, ut delitium meum easdem soleam appellare. Argumenta curiosa, stylus sublimis, character vehemens, urgens, et ad quemlibet affectum se mire componens. Docet robuste, delectat suavissime, movet vero, supra quam fieri, aut optari meo iudicio possit. **Cum vero auctor idem gemina ex suis illis argumentis, declamationis nempe 14 et 18 in utramque partem pertractaverit, in mentem olim et mihi venit reliqua pariter eadem methodo, eodemque stilo conficere.** Quo consilio meo idcirco maxime gaudebam, quod intentatum hoc aliis, quod scirem, usque dum noveram, uno Ludovico Vives excepto, qui uni tantum aut alteri ex iisdem Declamationibus talem operam, sed, ut mihi videtur, parum feliciter adhibuit. Et mihi quidem omnia aliquot iam abhinc annis parata in operis veluti rude quoddam exemplar, meliori inde lima perpoliendum, sed ingruentibus alio raptus negotiis, dissitique generis studiis ab oratoriis lucubrationibus revocatus, Quintiliano paene meisque in eiusdem Declamationes Antilogiis vale dixi. Impraesentiarum vero gravioribus paulisper solutus curis ad intermissum opus redire constitui; et si Deus sinat, si vires mensque sufficiant, absolvere [...].

CORRISPONDENZE TRA LA *DM 8* E L'ANTILOGIA DI LORENZO PATAROL

I passi della *DM 8* riportati di seguito sono tratti da: A. Stramaglia (ed.), M. Winterbottom (tr., comm.), B. Santorelli (comm.), [*Quintilian*]. *The Major Declamations*. Cambridge, MA – London: Harvard University Press (Loeb Classical Library 547-9), 2021, vol. II, pp. 109-171.

I passi dell'antologia 8 sono tratti da: L. Patarol, *Opera Omnia*, vol. II, Venezia 1743, pp. 243-267.

PS.-QUINT., DECL. MAI. 8

L. PATAROL, ANTILOGIA 8

EXORDIUM

<p>1. Captet licet crudelissimus senex parricidii immanitatem metu maiore protegere, non invenio unde colligi possit utrumque fuisse moriturum: ex duobus aegris non periit nisi qui occisus est. (8, 1, 2)</p> <p>2. Sic debetis odisse patrem, tamquam duos occiderit, cuius non interfuit uter occideretur. (8, 2, 4)</p> <p>3. Explicat a dolore patrem quod sibi videtur fecisse rem maximam, et in locum iuvenis amissi substituit de vanitate solacium. (8, 2, 2-3)</p> <p>4. Quamvis, iudices, plurimum infelicissimae matris adversis miserationis abstulerit, quod ex duobus liberis pari desperatione languentibus alter evasit, et plerisque maximum dolorem prima fronte tractantibus videatur aviditas gaudiorum, ut modo ad totius orbitatis redacta patientiam iam non sit unius salute contenta, non possumus tamen affectibus vestris non hanc primam tristissimae calamitatis allegare mensuram, quae ex ipsa quoque solacii sui condicione descendit. (8, 1, 1)</p> <p>5. Huncine fecit exitum illa modo civitate tota conspicua mater, ille indiscretus ab utroque latere comitatus, ille gaudentium dulcis error oculorum? Quid mihi mortem nuntiatis unius? Perdidit misera geminos. (8, 3, 1-2)</p>	<p>1. Velis, nolis, infelicissima mater, non odiosa est quaelibet medicina quae filium restituat; et proclames licet, non periisse ex duobus aegris nisi qui occisus est, non convaluit tamen nisi pro quo docuit fratris languor inspectus remedia. (p. 244)</p> <p>2. Quinimmo mihi ideo maior debetur gratia, quod in tanto dolore, dubioque suspensae naturae aestu, in me aliquid de forti caritate praevaluit, dum vitavi solus orbitatem, et recusanti matri filium restitui: nec debetis odisse, tamquam duos occiderim, sed fortiter credere, quod de duobus mortuis revocare ambos volui, alterum potui. (p. 244)</p> <p>3. Rem maximam me fecisse puto, et meam liberis omnibus, ac parentibus iacto <u>pietatis felicitatem</u>, quod retuli de tanta miseria solacium. (p. 245)</p> <p>4. Non dubito igitur, iudices, quin amoris nostri factum deperdat statim invidiam; et satis matris appareat aviditas, quae cum ambos perdidisset, et restitui alterum recusasset, non est unius salute contenta. (p. 244)</p> <p>5. Huncine fecit exitum illa modo civitate tota conspicua mater, ut habeat de filii salute querelas, ut fidem parumper nolit componere, dum attendat, non esse impietatis crimen orbitatem certam quocumque pretio redimere? Sed abite quaestus, recede miseratio. Videat mater, quam mihi innocentia constet. (p. 245)</p>
---	--

NARRATIO

<p>1. Passi sunt enim languorem miserrimi iuvenes sine dubio pariter unaque non fraternitate, non animae corporumque consortio, sed condicione fragilitatis humanae, qua sic extranei quoque duo languere potuissent; non negaverim terribilem, gravem, et parentibus utique metuendum, de cuius tamen adhuc – ut parcissime dixerim – remedio quaereretur. (8, 3, 3-4)</p> <p>2. Si medici non interfuit utrum occideret, constabit vivere utrumque potuisse; si interfuit, constabit non eundem fuisse languorem. (8, 4, 7)</p>	<p>1. Non fuit iudices, non fuit infelicitum fratrum par languor de condicione fragilitatis humanae, qua eadem extraneis quoque contingunt, sed sine dubio de animae corporisque consortio, ac de illius communionem naturae, quae de parentum visceribus simili qualitate traducitur. (p. 245)</p> <p>2. Non sane medici interfuit uter occideretur, sed neque ex hoc constat utrumque vivere potuisse, si quod tantum vivere alter potuit, inde fuit quod debuit medicus unum inspicere. (p. 247)</p>
---	--

ARGUMENTATIO

<p>1. Breviter tamen longae crudelitatis explicanda saevitia est: ex omnibus quae pertulit, levissimum fuit quod occisus est. (8, 5, 1)</p> <p>2. Quid, quod filium occidit innocentem, cui nihil obicere, nihil poterat irasci? (8, 8, 2)</p> <p>3. Adicite, iudices, immanitati, quod occidit aegrum. (8, 8, 5)</p> <p>4. Ecquid, iudices, vel ex hoc totus animus mariti, tota tristissimae coniugis calamitas perspicitur potest, quod se negat matri communium liberorum debere rationem? (8, 6, 6)</p> <p>5. Vos estis, qui crescentes adhuc in peregrinationes, qui iam adultos in castra magnorum parentum vanitate dimittitis. Erubescitis desideriis tamquam infirmitate, et, unde velocissimus transitus est in rigorem, liberos vultis amare patientia. Quam multa ideo tantum de filiis facitis, quia licet! Et frequentius potestatis vestrae iactatione tamquam aliquo gravitatis genere delinquitis. (8, 7, 2-3)</p> <p>6. Si mehercules fas est aestimare utri plus parenti debeat ex liberis, non improbe totam potestatem sibi vindicabit adfectus qui decem</p>	<p>1. Quoniam vero, iudices, ita sentio matris orationem procedere, ut nostram quam vocat crudelitatis longae saevitiam pluris explicet, et quae nostrae excusationis patrocina praesensit reiiciat; meam ideo satis ad causam puto, si fortiter repellam obiecta, et temere infirmatas innocentiae partes restituam. Primo igitur imputat, quod filius occisus est. (p. 247)</p> <p>2. Quid quod, inquit, filium occidit innocentem? (p. 251)</p> <p>3. Adicite, inquit, immanitati, quod aegrum occidit. (p. 252).</p> <p>4. Queritur uxor, quod nihil de novo hominis remedio retulerim, quasi non matri debeatur communis ratio liberorum. (p. 249)</p> <p>5. Ecquis tamen totum patri auferet in filios imperium, et minori sexui indulgebit, tantumdem reddet potestatis? Non negaverim aliquam quoque vobis esse auctoritatem, maior tamen quae patris est, et quae in absurda, sinistraque matris iactantia non habet parem. (p. 249) [...] Nos crescentes adhuc in peregrinationes, adultos in castra per magnorum parentum vestigia dimittimus, ut incertae sortis conditionibus assuescant, ut discant aliud vitae genus esse, quo vir fruatur, neque fidem habeant de sola matris renunciatione. (p. 250)</p> <p>6. Age, per deos immortales, quid vobis levissimi mulierum affectus vindicatis, qua nobiscum gratia eluctamini, quae non aliud habetis meritum,</p>
--	--

mensibus ante vestram incipit diligere notitiam, et, cum vos patres gaudium primum faciat oculorum, ante sunt conscientia matres. Facinus est ideo tantum illis minus licere, quia minus facere sufficiunt. (8, 7, 1)

7. Non habet orbitas vestra lacrimas: super ardentis rogos tenetis inconcussam rigidamque faciem, itis obviam consolationibus, et, quod omnem modum feritatis excedit, captatis in magna calamitate laudari. (8, 7, 3-4)

8. Sepono paulisper immanitatem patris, qui credit: [et] de arrogantissimae persuasionis hominibus queri [de] totius generis humani nomine volo. Quam multas artes, misera **mortalium sollicitudo,** fecisti! (8, 9, 3-4)

9. Ego vero medicis non credo sperantibus. Aspicite **maiolem partem generis humani et, si me interrogas, illam robustiorem,** illam adhuc in prima rerum naturae veritate viventem: **nullos artis huius novit antistites, nec minus tamen bellorum vulneribus morborumque medetur** incursibus; **non disputationum vanitate solerti, sed experimentis** et, invicem **per similes dissimilesque casus observatione ducente,** tradita ratione **succurrit.** Non medicina sanat, sed **quicquid videtur sanasse medicina est.** (8, 9, 6-7)

10. Quo vultis animo feram quod ars, quantum dicitis, inventa pro vita, <sic,> si dis placet, auctoritatem farmamque captat ut longe ventura suprema prospiciat, ut adesse fata denuntiet quae nec timentur, et maxima scientiae pars esse coepit sanare non posse? Quisquamne ab homine **qui adhuc loquitur, spirat, intellegit, sic recedit quemadmodum relinquitur exanime corpus,** et ibi finem vitae putabit, ubicumque scientiae substiterit infirmitas? Si **fragilitatem mortalitatis** incertosque velimus aestimare **casus,** tantundem periculi habet omnis aeger. (8, 10, 1-3)

quam quod nobis datis de quibus meremur? Quid maius **potestatis** asseritis, quod **decem mensibus ante nostram incipiatis diligere notitiam?** Quam ante sumus conscientia patres, qui nuptiarum solam habemus pro filiis rationem, **et si vos matres decem mensibus ante oculorum nostrum gaudium** appellamini, habemus ante thalamum patris affectum. (p. 250)

7. Non habet orbitas vestra lachrymas (proclamat infelix), **super ardentis rogos tenetis inconcussam, rigidamque faciem.** Felices matres, quae non habetis affectus virorum! (p. 250)

8. Tentat vero mater efficere, ut medicorum arti non credatur, et de arrogantissima quam vocat hominum persuasionem totius humani generis nomine queritur. [...] Adde quod ars tanta **humanae necessitatis sollicitudine** perquisita, et ad tanti usus momenti redacta citissime ipso in ortu stetisset, nisi sensissent singuli de utilium constantia operum profuturam. (p. 254)

9. Mater, ut vincat fallaciis, profert maiorem partem generis humani, et si ipsam interrogas, illam robustiorem nullos artis huius cognoscere antistites, nec minus tamen bellorum mederi vulneribus, nec disputationes vanitate solerti, sed experimentis succurrere. (pp. 256-257) [...] Quid enim medendi artem dicas, nisi diutina salutarium rerum **observatione,** perceptaque exigentia morborum, enascenti labi cognitum remediis obstare? Bene, iudices, **quicquid sanasse videtur medicina est, et ducentibus per similes, dissimilesque casus experimentis,** conscio sagacis animi discursu artis securitas confirmatur. (p. 257)

10. Ergo si placet observationibus sanandi scientiam concedite, et si addatur ipsis **disputationum solertia,** negare. Non potest tamen ferre mater, ut medicus **de hominis salute desperet, et ab eo qui loquitur adhuc, spirat, intelligit, ita recedat, sicut relinquitur examine corpus.** (p. 257)

11. Detur fortassis huic arti perspicere morbos, profutura meditari: sed unde sciret quantum inter viscera latentesque pectoris sinus unicuique animae natura concesserit, quam proprietatem spiritus, quam corpus acceperit? Non tam variae mortalibus formae, nec in vultibus nostris sedet tanta diversitas, quanta latet **in ipsis dissimilitudo vitalibus. Inenarrabile, indeprehensibile** est **quicquid** nos **elementorum varia compago formavit**, et, prout in nos plura seu rariora de terrenis seminibus caelestibusque coierunt, ita vel duramur tacita ratione, vel solvimur. (8, 11, 1-3)

12. An desperantibus credi debuerit, vos aestimabitis: qui negarunt aegros posse sanari, **nec in hoc probaverunt qui evasit, nec in illo quem non languor occidit.** (8, 11, 3)

13. Pessime mehercule de tua feritate sentirem, si in quacumque **fili curacione non adhiberes propinquos, non interrogares amicos, non respiceres ad matris animum.** Non hanc primam impatientiam, non hunc consulis timorem? (8, 11, 8-9)

14. “Fratres” inquit **“et gemini erant, ideoque credibile est illis eundem fuisse languorem.”** **Rogo, quis in ullo mortalium ferat ignorantiam pariter et adfirmationem? Quisquis nescit quod genus languoris sit, non potest scire an idem sit. Nihil, iudices, in rebus humanis voluit esse rerum natura tam simile, quod non aliqua proprietate secerneret.** (8, 12, 1-3)

15. Quid quod non eandem esse naturam geminorum probat etiam **fortuna dissimilis?** Hunc pressit paupertate perpetua, illum insperatis opibus excoluit; **huius per titulos, honores, illius per ignobiles obscurasque sordes totam duxit aetatem. Simile est quicquid accipiunt ex homine gemini, dissimile quicquid ex fato.** (8, 12, 5-6)
[...] Volvitur super nos haec **caeli siderumque**

11. Datur fortassis, inquit, huic arti perspicere morbos, profutura meditari, negat tamen scire posse **quantum inter viscera, latentesque pectoris sinus unicuique animae natura concesserit.** Nunc vere, iudices, tantae scientiae certitudo triumphat, et hinc veram scientiam putare fas est quod habet suas causas. Fateor equidem, summam esse **in ipsis vitalibus dissimilitudinem,** cum nos tam **varia elementorum compago formaverit;** facile tamen **quidquid inenarrabile, indeprehensibile videtur,** prorumpit, et de se ipsa reddit quaelibet aegritudo rationem. (pp. 257-258)

12. Non mentiti sunt modo qui de simul sanandis desperaverunt; et mater licet medicis objiciat mendacium, quod **neque in hoc probaverunt qui evasit, neque in illo quem non languor occidit,** tamen iudicantibus patet non potuisse simul utrunque sanari. (p. 259)

13. Neque mihi sit excusandum, quod in curacione filii non adhibuerim propinquos, non interrogaverim amicos, ad matris animum non respexerim. (p. 259)

14. Desperantibus fidem habui de tantae artis auctoritate; at eundem credidi esse languorem, quod erant gemini. (p.259) [...] Quis vero in medici responso **ignorantiam pariter** notet, **atque adfirmationem,** et dicat **non posse scire an sit idem, quisquis nescit, quod sit genus languoris?** Quota naturae effectuum portio est, quorum prorsus, ortus in ignoto sunt, neque infirmae patet mortalium menti, unde vulgatissimi etiam quique effectus procedant? Cur tamen nescire dicamur quae cernimus, quorum cingimur frequentia, quod causae nos fugiant? **Nihil, inquit, in rebus humanis voluit esse rerum natura tam simile, quod non aliqua proprietate secerneret.** (p. 260)

15. Quae autem ratio, non eandem esse naturam geminorum quod sit fortuna dissimilis? (p. 261)
[...] **Ille per titulos, per honores, ille per ignobiles, obscurasque sordes totam duxit aetatem.** Quid hoc cum corporis, et viscerum causa, de qua contendimus eundem esse languorem? Non contendam scilicet, idem geminorum ingenium, necesse est ut variam sibi faciant sortem, quibus non eadem est, neque ex

compago et, **praecipiti per proclive decursu** totius diei noctisque **brevitatem** emensus, orientis occidentisque cursus diversis siderum <intervallis> in primo statim ortu rotato se rursus axe consequitur.

(8, 13, 2-3)

[...] Non eodem fato languere geminos quemadmodum **vultis brevius probem**, quam quod nec uterque occisus est nec uterque sanatus?

(8, 13, 5)

16. Non ferrem si separare expositurus auderes, si contentus esses educaturus alterutrum; non ferrem **a piratis captum filium alterius vicaria servitute redimentem.** (8, 15, 2)

17. Peractum est velut **de genere humano**, si nobis **pro salute aegri opus est morte hominis** alterius, et paene ratio sanitatis intercidit, si **consumit medicina tantundem.** (8, 16, 1-2)

18. **Nullum**, sanctissimi iudices, **natura morborum genus solis visceribus abscondit, et quicquid causas valetudinis de vitalibus trahit, in corpus emanat.** Inde pallor, inde macies, quod **ad interiorem** dolorem superposita **consentiunt.** Non inveno cur hominem vulneribus exquiras, cum remedia quoque vitalibus per corpus immittas, et in latentes meatus <per> haec, quibus tegimur, medicina descendat. Cur ergo non eadem ratione languor admittit intellectum qua sanitatem? Prodit abditos profundosque morbos aut **citator clausi sanguinis cursus** aut **crebrior anhelitus** laborantis **animae.** (8, 16, 4-6)

19. **Adice quod nec deprehendi ex laniato potest ullius causa languoris.** Quicquid nos in vitia morborum a naturali sanitate commutat, facit aut nimii sanguinis pondus exaestuans aut superfluens calor aut ultra naturalem modum humor exundans aut spiritus per tacitos meatus non solita laxitate discurrens. Quid horum, **si vitalia ferro vulneribusque resecantur, salvum potest esse** languentibus, cum compressi **spiritus** laborem protinus ille **reserati pectoris** meatus emittat, **sanguis** isdem pariter deprehendatur egrediaturque vulneribus? **An fas putatis ut suam servent viscera nudata faciem, ut nihil perdat ex priore natura illud pectoris vitaeque secretum, cum admisit oculos?** Plurimum in nobis etiam timore mutatur. Quantum aufert **sollicitudo,**

principiis paribus anima. **Dissimile est quidquid** suprema creatum manu exceperunt, **simile quidquid** in una materia iisdem excrevit seminibus. Neque vero tunc syderis aspectu nascentem hominem signari crediderim, cum de maternis visceribus exilit, et diu pressa exonerat egressu vitalia. Non habeo fidem dicentibus, paribus imbui prodeuntes geminos qualitatibus eadem stella jubente, quorum natalis momenti ut sit **brevissimum** spatium, prae **coelorum** tamen **praecipiti per declive decursu** longissimum est. (pp. 261-262)

16. Cur nequeat pater **a piratis captum filium alterius vicaria servitute redimere?** (pp. 263-264)

17. Neque vero ad miseram hanc semper redigetur necessitatem **humanitas**, ut **pro salute aegri opus sit morte hominis**, et **medicina consumere** debeat **tantundem.** (p. 264)

18. Sed, inquit, **nullum natura morborum genus solis viceribus abscondit, et quidquid causas valetudinis de vitalibus trahit, in corpus emanat.** Fateor equidem viscerum labores, sive de **citatori clausi sanguinis cursu, sive animae crebriori anhelitu** indicari, sed cum tot morborum varietas iisdem causis nascatur, non ita sane semper **ad interiorem sensum consentientia** qualitas prorsus innotescat. (p. 264)

19. **Adiice**, proclamat mater, **quod nec deprendi ex non sanato potest ullius causa languoris.** **Dono illud, si vitalia ferro, et vulneribus resecantur,** quidquid nobis tranquillae vinculum sanitatis perturbat non **posse salvum omnino esse,** cum novo labatur per effossum **pectus sanguis** defluxu, et per **reseratam** semitam nocentis spiritus compago laxetur. Sed quid est quod conferat ad providae artis consultationem ipse sanguis inspectus? Ipsa habent, ipsa vultum languoris oppressa vitalia, et si morbi causas inquiras, exhibent secti meatus sedem, quam dira pestis invadit. Nocuit nimii sanguinis pondus exaestuans? Tumentes, et inhaerenti sanguinis tarditate combustas pervias partes agnosces. Non discurrit solita spiritus per meatus tacitos laxitate?

<p>gaudium, dolor et aliquis subitus adfectus! (8, 17, 9; 8, 18, 1-4)</p>	<p>Videbis quid proprio obsistat procursum; imo pectori alte inhaerentem crassitiem, et fixa tabe praeditas semitas obstrui. Languet de exundanti naturalem modum humore? Quid est ut ipse suo illo ordine deprehendatur? Torpens aderit, victusque spiritus, et hebescentia vitalia mersa paulatim anima fluitabunt. An minime putemus suam nudata licet viscera servare faciem, quorum non vago discursu pererrat languor, sed fixa consistens penetratione tenetur? Et leve quidem esse puto, quod ex priore natura perdit illud pectoris, vitaeque secretum, cum admisit oculos, neque fecere diversitatem timor, dolor, sollicitudo, gaudium, et quidquid subiti animis nostris contigit. (pp. 265-266)</p>
--	---

PERORATIO

<p>Hoc est tamen, quod de tristissima orbitate praecipue ferre non possum: propter fratrem videris occisus, nec tamen unquam constare poterit an tu sanaveris fratrem. (8, 22, 6)</p>	<p>Crede mihi, maximum nostri spiritus solatium est in ipsa periisse innocentia; magis quid tamen felicitas nostra supereminet, quod merui, ut pro fratris salute (dicam singula prout matri libet) trucidarer a patre. (p. 267)</p>
--	--

LA VIVISEZIONE UMANA NELL'ANTILOGIA OTTAVA: *PROGYMNASMATA* A CONFRONTO

L'ACCUSA DELLO PSEUDO-QUINTILIANO

Ps.-Quint. *Decl. mai.* 8, 19, 6-9; 8, 20, 1-5

A. Stramaglia (ed.), M. Winterbottom (tr., comm.), B. Santorelli (comm.), [*Quintilian*]. *The Major Declamations*. Cambridge, MA – London: Harvard University Press (Loeb Classical Library 547-9), 2021, vol. II, pp. 109-171.

1.

Ut erat iuvenis primo ipso comparisonis incerto, mox electione cruciatus, abacta est a perituro prima mater, et modo sedula ministeria servorum repente mutata sunt in mortis officia. Detrahuntur trementibus velamenta membris et, ut **grassaturas** manus totum corpus admitteret, nudatur **miserabilis ac deflenda macies**. Toto deinde tenditur toro, et ad **immobilem rigidamque** patientiam per omnia lectuli spatia **duraturus exponitur**.

2.

Accipit **carnifex** ille telum, non quo dextera statim totum vulnus inprimeret, sed quod leviter paulatimque discindens animam in confinio mortis ac vitae librato dolore suspenderet. Haec exhortatio, hoc fuit **perituri** iuvenis adloquium: “Fortiter dura, patienter admitte: sanabitur frater. Non est quod exanimeris metu, dolore deficias. Cave viscera exclamazione ne lasses, anhelitu gemituque concutias, ne remedium pereat alienum”. Passus est **miser** discurrentem per omnia reserati pectoris **improbum** vagae artis **errorem**. Contentum fuisse medicum toto homine discentem primo putatis aspectu? Egesta saepe vitalia, pertractata, diducta sunt; fecerunt manus plura quam ferrum. **Stat iuxta medicum pater** apertis visceribus inhians; **stillantem animae sedem** cruentis manibus agitantem ne festinet hortatur, iubet altius diligentiusque scrutari, interrogat, dubitat, contendit, adfirmat et accipit de filii morte rationem.

3.

At mulier infelix, clusis advoluta foribus **cruentumque secretum** toto corpore effringens, velut super busta tumulosque clamabat: “Audi, miserrime iuvenis, si quis adhuc tibi superest sensus, exaudi: non permisit hoc mater, crede orbitati meae, crede lacrimis; nec frater hac vellet ratione sanari”. Inter haec reficiebatur miser haustibus, detinebatur adloquiis, conprimebatur residuus cruor, cludebantur aperta vitalia. Nemo umquam tam nova pertulit commenta saevitiae: **tamquam sanaretur, occisus est**.

LA DIFESA DI PATAROL

L. Patarol, *Opera Omnia*, vol. II, Venezia 1743, pp. 265-266.

1.

Quomodo (per deos immortales) mederi possit qui novitate subripitur, aut quid constanti scientiae superest, quam sedem ipsam insoliti affectus pervadere, et secreta scrutari cum aperta decipiunt? Quare non sufficit iam facta ex unius hominis laceratione perspectio, neque valent relata praecepta; novo indiget genere curationis, quod non invenit tot saeculorum remedium. Quod si fas fuit priscis illis antistitibus per plures reges viventium corpora lacerare, ut considerarent etiam **spiritu remanente** quae natura clausisset, cur nefas erit semianimem filium, ut frater aegritudinis comes sanetur, et (si Diis placet) ut similibus habeat humanitas remedium exscindi? Adjice, proclamat mater, quod nec deprendi ex non sanato potest ullius causa languoris. Dono illud, **si vitalia ferro, et vulneribus resecentur**, quidquid nobis tranquillae vinculum sanitatis perturbat non posse salvum omnino esse, cum novo

labatur per effossum pectus sanguis defluxu, et per reseratam **semitam nocentis spiritus compago** laxetur.

2.

Sed quid est quod conferat ad providae artis consultationem ipse sanguis inspectus? Ipsa habent, ipsa vultum languoris oppressa vitalia, et si morbi causas inquiras, exhibent **secti meatus** sedem, quam **dira pestis invadit**. Nocuit nimii sanguinis pondus exaestuans? **Tumentes**, et inhaerenti sanguinis tarditate **combustas** pervias partes agnosces. Non discurrit solita spiritus per **meatus tacitos** laxitate? Videbis quid proprio obsistat procursum; imo pectori alte inhaerentem crassitiem, et **fixa tabe** praeditas semitas obstrui. Languet de **exundanti** naturalem modum humore? Quid est ut ipse suo illo ordine deprehendatur? **Torpens** aderit, **victusque spiritus**, et hebescentia vitalia **mersa** paulatim **anima** fluitabunt.

3.

An minime putemus suam nudata licet viscera servare faciem, quorum non vago discursu pererrat languor, sed fixa consistens penetratione tenetur? Et leve quidem esse puto, quod ex priore natura perdit illud **pectoris, vitaeque secretum, cum admisit oculos**, neque fecere diversitatem timor, dolor, sollicitudo, gaudium, et quidquid subiti animis nostris contigit. Unde verius probem, quam quod semper his artibus medicina excrevit, et de inspectione cadaverum transtulit nunquam mentita viventium remedium? Differ infelix mulier fallaces querelas, et inania crimina; **probat potuisse nosci languorem qui deinde convaluit.**